

gnantur vel per illum transeunt, ne nunquam Novitios alloquantur nisi presente vel concedente Magistro. Haud pauca, haud parva inconvenientia ex istis relationibus originem ducunt. Sunt enim qui deformare animos juvenum, sive coram illis regulam perverse interpretando, sive auctoritatem ledendo, non erubescunt. Ideo admonemus Superiores ut tales delinquentes graviter increpent et puniant.

Tandem, hæc omnia, servatis servandis, erga Fratres conversos observentur.

IV. In memoriam Fratrum revocamus ordinationem Capituli generalis Mediolani 1505 qua "nullis Fratrum alterius cellam ingrediatur nisi in casu necessitatis" et de licentia Superioris. Ad rem faciunt hæc verba Constitutionum: "Silentium Fratres nostri teneant..... in cellis, nisi forte silenter aliquid loquantur, non tamen oratione perfecta".

V. Enixe hortamur Fratres nostros ut saluberrimam Capituli habitudinem corde teneant ac religiosissime observent, speciatim quoad proclamationes, sive non timide faciendas, sive humiliter et grate recipiendas. In his enim constat beneficium simul ac meritum Capituli quotidiani, siquidem nihil aliud sunt quam actus justitiæ et caritatis. Omnem igitur inanem fallacemque metum seorsim ponant Fratres, atque amore coacti fraterno, has partes officii sui genereose impleant.

VI. Ministerium Verbi Dei magis magisque accrescit in nostra Provincia, divina favente gratia et fratrum zelo cooperante. Ad hoc tamen ut tam sublime ministerium semper vere supernaturalare et fructuosum existat, attendant Fratres ut simul cum actione exteriori crescat etiam studium et multiplicentur orationes, quæ sunt quasi necessarij fontes unde gratiam et veritatem haurire debeant.

Quapropter admonemus Fratres nostros ne sint faciles ad proponendum verbum Dei absque debito studio ac præparatione. Insuper, haud ægre sed ultro libenterque erga Superiores